EPICEDIA

Memoriæ

VIRI

Spectabilis, Prudentißimi, Doctißimiq;

DN.

PAULI GISII

Ampliss. hujus Reipubl. Stetinensis Consulis p.m. suis acerbissimè, sibi felicissimè, denati

Anno Æræ Christianæ ∞ Iɔ. CXXX. Jubilæi Augustanæ Confeßionis 2. Ætatis suæ 57. 6. Non. Octobris.

Condolentiæ ergò conscripta.

STETINI,

Typis NICOLAI BARTHOLDI,

Anno M. DC. XXX.

NEc modum habet nec consilium, res civica, quî sic?
Alter enim Consul nunc etiam occubuit.
Proh dolor! ô Jehovah stator supreme ubi non
Res aut consilium, consule concilio (est
Namq; ubi consilium humanū finitur, ibi ultrò
Exoritur superi Consulis auxilium.

D. Cramerus D.

Ad pie defunctum Consulem

Dn. PAULUM GIESE.

SIngula qui flevit, qui risit singula quondam,
Cui quadret dicat, nasci, hominem ve mori.
Attigit, & si quisquam hæc secula ponderet, annon
Quo, quorsum vertat se hæreat ambiguus,
Consule denato liceat mage, sive creato
In luxum aut luctum sollicitare animos.
Cogit amor patriæ fieri, sibi vindicat illa
Nam partem nostri, si est honor, est & onus.
Patria quod voluit tribuisti, pensat honore
Funeris, & dignum munere transit onus.

Patria

Patria quæ restat partes sibi vindicat omnes,
Et, Triadi totum dedita, amica cohors.
Non onus est, at honor dives gaudere tot inter,
Cœlestis curas curia non patitur.

Christoph. Albinus D.

Ad piè defunctum Dn. CONSULEM, Cognatum suum carissimum, bonorum omnium cum luctû Urbi huic ereptum.

IN cujus nuper suffectus es, Optume Consul,
Numine supremô nempè volente, locum;
Hunc modò funestæ sequeris vi Mortis ademptus,
Consulis officium & rursus in urbe vacat!
Sic adeò in Nostram (dolor heu!) efferbuit urbē
Vindicis Ira Dei, tot mala nosq; premunt:
Ille suas Nobis, factô velut agmine, turmas
Immittit, Pestem, Bella, Famemq; simul:
Totq; graveis, gelidæ Mortis præludia, Morbos,
Quos Ego vix omneis dinumerare queo!
At, verũ ut fatear, Tibi honos is onusq; laborq;,
Martiô & hoc sèclô Curia cura fuit.
Nunc expers curæ es Cœlesti in Curiâ & Aulâ,
Nulla ubi Mors, nec Mars amplius arma movet.

 Hac

Hac lætus fruere, & præmissum amplectere NA-
Cujus Te dixti funera velle sequi. (TVM,

Veræ ac sinceræ συμπαθείας con-
testandæ ergò scribeb.

ANDR. HILTEBRANDT.
MED. D.

ARdentis voti nunc consultissime Consul,
Effectus compos, perfrueris requiê.
Nemo tibi invideat præsentis commoda vitæ,
Quin etiam exoptet talia fata sibi.
Namq; oculis posthac non cernes improba facta,
Nec lædent aures verba maligna tuas.
Ipsum sed rerum Dominum modò cunctipotentem,
Qui servat verbo cuncta creata suo:
Et servatorem Christum, cum Flamine Sacro,
Pleniùs agnoscens concelebras pariter.
O mihi contingat consortem tempore primo
Collaudatorem & perpetuum esse tibi.
Vitam longævam vixi, cupioq; resolvi;
Annorum satur, heu, emeritusq; senex.
Κάτθανεν οὐκ ἀέκων, ὅτι παύσομαι ὧν ἐπιμαχθεὶς
Πλείστων, ὧνπερ ἰδεῖν ἄλγιον, ἢ θανάτου.

V. L. M.

CVria curarum domus est, cui curia curæ
Vivere securè nocte dieq; nequit.
Vnus præ multis Testis dignissimus est hic
Consul, Consilio clarus & auxilio.

Nil

Nil præter curas huic semper Curia amaras
Præstitit, infractâ mente animâq; ferens.
His tandem ereptus, Cœlestis Curia cara
Aura est nunc illi. Compater Ample Vale.

M. Casp. March
Pastor Penkū.

SIt licet exilio implicitus, ferro, igne fugatus,
Attamen ô GISI! mæsta Thaléa canit.
Ad tumulum querulas voces, deponit amaras,
Atq; tuum fatum deflet amore pio.
Consulis officio functus, clarissime Consul!
Deponis fasces, clarus in officio.
Laudabunt alij virtutes, Consule dignas,
Me juvat exilium flere referre datum.
Ad placitum Domini officio curisq; levatus,
Obdormis verâ, morte secante, fide.
Ad patriam veram tendisti, Numine plenus
Divino, carpis gaudia vera poli.
O nimium felix! ô terq; quaterq; beatus,
Quem Deus eripuit, temporibusq; malis.
Ereptus curis, superâ jam sede locatus,
Mortales curas, spernis & omne malum.
Atq; tubas belli, Mortes, Mavortia castra,
Tot pestes spernis, bella cruenta, faces.
Te MICHAEL Princeps conscripsit, sede beavit,
Dignius officium, regna beata, dedit.
PAULUS Tharsensi PAULO conjunctus amicus,
Cum CHRISTO, PAULO vivat honore pari.

Invidia hinc abeas! Livor post fata quiescit;
Ex merito CHRISTI, gaudia vera cape,
Sit requies animæ, pax ossibus, inq; sepulchro,
Exulis officio functus, & hisce vale!

M. Laurentius Schluterus, Ecclesiæ Marianæ Pasevvalcensis in cineres redactæ Archidiaconus, Ministerij Senior, justa funebria in publico luctu & exilio Sedini Pomeranorum detentus, mærens apposuit, & consanguineis & amicis defuncti exhibuit.

NOn malè demoritur, subitò qui concidit: iste
Sed pejùs, cujus vita peracta malè est.
Is, benè qui vixit, moritur bene: serius istud
Seu fiat citius, distat utrunq; parum.
Ergò, cum subitò moreris Clarißime CONSUL,
Tam benè qui vixti, non male demoreris.
Vitam commutas fragilem cum perpete: vitâ
Et bene transactâ digna brabeia capis.

Contestandæ veræ condolentiæ causâ facieb.

M. Martinus Leuschnerus
Duc. Pæd. Rector.

Ad Excellentiß. Virum,
D. LAURENTIUM EICHSTADIUM,
Physicum Reip. Stetin. Ordinarium, Amicum & Fautorem plurimùm honorand.

Con-

C*Onsulis* EICHSTADI, *Soceri* fles funera! fletus
Tecum, si possem hôc tempore flere, darem.
Verùm siccavit tandem mea lumina fluxus
Continuus, raptâ triplice prole mihi.
Proximus hebdomadum quinarũ cursus acerbâ
Hac clade afflixit meq́; domumq́; meam.
Ægro, dic, æger solamen amicus amico
Ecquod præstabit? quâ relevabit ope?
Quod licitum non est mutare, feramus uterq;;
In solo spes sit nostra reposta DEO.
Non ea confundet. Nostrum est sperare, silere:
Sic DOMINVS subdet robora pectoribus.

θεραπείας ϗ συμπαθ. ἕν. ἔχ.

M. Heinr. Kielmannus, Ducal.
Pædagogii Stet. ConR. Gr. L. & Poës. Prof.

QVũ fieres Consul, Consul dignißime, versus
Unus honorificus fusus & alter erat,
Omnia qui de Te non vilia, votaq́; pro Te
Promebat, frustrà prodita quæ video!
Te siquidem Fatum, cum fusis omnia votis
Pro nihilô ducens, sustulit ante diem!

Ergò

Ergò dolorificus jam tristi pectore versus
Unus (at invitè) funditur, alter item:
O dolor! ô lacrimæ! ô suspiria pectoris ima!
O quidquid mentis spiritus intùs alit!
GIESIUS, ille bonus Fautor nostri ordinis abje-
Invitus Consul debuit esse, Fuit! (cti,
Scribere plura vetat nummorum exactio dura,
Curaq; nulla mei scribere plura vetat.

συμπαθείας ἕνεκα meritò scribebat
M. Martinus Bambamius
P. L. & Sch. Sed. Sen: ConR.

In obitum modò piè defuncti CONSULIS.

D*Um furit, atq; fero tollit* Mars *omnia ferro,*
Ut tutum toto constet in orbe nihil,
Imperiosa rapit Lex ad vadimonia Mortis
Patrem conscriptũ jam properante pede,
Qui non immiti tractabat spicula dextrâ,
Nec sævum rigidi Martis *amabat onus;*
Ast erat irato communis in æquore portus:
Ac simul in placido remus & aura mari.
Consul namq; salutaris, virtutis amicus,
Utile consilium, præsidiumq; dabat.

O si

O si nunc potius furiatâ mente Corœbus,
Aut quivis alius publica damna parans,
Quàm Consul noster, finisset tempora letho,
Tot mala, tot pestes non metuenda forent!
Sed quia jure sub Lex *ad vadimonia* Mortis
Hunc rapuit nobis imperiosa Patrem,
Ferre decet Legem placidè, quæcunq; ferenda est;
Cum nulli excipere hinc, aut replicare datum:
Cumq; hic in Cœli solio superumq; recessu,
Ocia perpetuï commoda veris agat.

Vltimi honoris ergò sic parentabat
ANTONIVS VVALTER
Sch. Stet. Senat. SubRector.

HEu Fortuna potens, nimis es variabilis, atq;
Quàm semper constans in levitate tua es!
Muneribusq; fidem solita es servare pusillam:
Tu quem clarificas, perpetuone foves?
Exemplum quæris, Dea fallax? aspice saltem
(Heu factum indignum) CONSULIS exuvias.
Hunc dictaturæ cum nuper honore bearas,
Nunc Morti addicis præpoperæ nimium.
Sic Protei faciem semper servus & adusq;
Lubrica & inconstans, perfida es atq; levis.
Vos verò cives in planctus solvite vultus,
Nam vobis justi causa doloris adest.
Non etenim fungum, terræ nec inutile pondus,
Non aliquem bardum Mors furibunda rapit:

Solertem, doctum tollit legumq; peritum,
Juris tutorem, proficuumq; virum:
Spectata in magnis cujus sapientia rebus
Judicium & dextrum sæpe diuq; fuit.
Tuq; Stetinensis multùm Respublica luge;
Næ tibi jam digna est causa dolore data.
Vir Fatis cessit, quo nunc vel maximè egebas
Casibus in dubiis anxia dum posita es.
Et nostri in planctum solvantur membra lycæi
Singula: Te, Consul, lugeo cordicitus:
Tu mihi Fautor eras/præ multis Maximus unus
(Nam memini) in multis præsidiumq; meum.
Quod restat, requiem tibi nactam gratulor, & nos
In cœlo vivens opperiare: VALE.

Amplissimo Dno. Consuli, Mæcenati suo desideratissimo in ultimi honoris & observantiæ tesseram hæc scripsit

JOANNES Schultz Cantor.

EXequias GISII meritô mactamus honore,
Officium pietas hoc sua promeruit.
Lustra decem moriens septemq; peregrat Annos:
Ingenij & morum dexteritate valens.
Artibus ingenuis juveniles destinat Annos
Laudatiq; Viri nomina docta tulit.
Namq; Senatorum numero fuit additus hujus
Urbis, quos inter Stella corusca fuit.
Posteà sex Annos gessit Camerarii honorem,
Bis denos ejus Curia sensit opem.
Gessit honorati Fasces quoq; Consulis idem,
Consilio Cives juvit ubiq; suo.

Ulti-

Vlterius voluit Patriæ servire libenter,
Non potuit, mortis subditus imperio.
Mens plaudit cœlis, at Terris Fama celebris,
Corporis & placide hâc umbra quiescit humo.
Donec ad adventum Christi revocata sub Auras,
Totus Homo, semper vivet in Arce poli.

Honoris & condolentiæ ergò
fecit,
ANDREAS MARTINI
Witeberg.

UT posuit CLEMENS Consul fascesq; animamq;,
Atq; suo cessit firma columna loco.
GISIUS, Urbe suis celerem minitante ruinam,
Succurrit, Patriæ mole sibi impositâ,
Sed lapsum impediens, eheu, collabitur ipse,
Quâ periit, nostri Consulis ecce fidem!
Als newlich eine Seul diesr Stadt war hingefallen/
Wolt ein gtrew Patriot die Last tragn vnter allen.
Er streckt sein Kräfft daran. Fällt aber selbsten hin.
Sieh so hat er den Todt für sein Trew zum Gewin.

M. Johannes Micrælius.

O Tristes subitasq; vices! ita deseris urbem,
Chare Socer, nostrâ Consul in urbe Socer!
Consulis officium nuper gratabar adeptum
Ipse tibi, sperans gaudia longa fore.
At diuturna, eheu! steterunt non gaudia nobis,
Namq; tuum tristem lugeo nunc obitum.
Morte tuâ quoq; tristantur schola, curia, Nati
Et Natæ, Conjunx, totaq; nostra domus.

Nempe

Nempe ita in humanis divina potentia rebus
Ludit, in orbe volens esse vices varias.
Sed quid de nece præpropera scribamve loquarve,
Cur, Socer, ingrato funere quæso cadis?
Ante DEUM pretiosa solet mors esse piorum,
Quali illos tandem funere mors rapiat.
Vivis, amate Socer, licet atro funere mersus,
In cœlis vitæ gaudia perpetuæ.
Hîc virtusq; fidesq; tua & dilectio CHRISTI
Et patriæ terris vivit ovatq; simul.
Ipse DEUS vidit nimiâ te mole gravatum
Curarum, hinc transfert curiam in æthereams.
Quod non invideo, intereà me tangit & angit
Nostrorum & charæ perdita sors patriæ.
Tu nostrûm miserere DEUS, miserere jacentis
Et patriæ, pestem, bella, famemq; abige.
Atq; locum supple dignaq; habiliq; vacantem
Personâ, per quam publica res vigeat,
Quod restat, jaceant busto tua molliter ossa,
Mi Socer, atq; DEI commoda gignat opus,

Dilectissimo & desideratissimo suo Socero
ponit gener mœstissimus

L. E. D.

